

Filio, sedes Patris quidnam aliud quam dignitatis aequalitatem significat? Basilius lib. de Spiritu sancto: ‚Vox dextera significat aequalitatis statum, eo quod dextera hic non accipitur corporaliter.‘ Basilius in Psal. domine ne in furore etc.: ‚Dextera Dei dicuntur ea, quae per dexteram et bonas virtutes dignis administrata sunt.‘ Nec sunt haec solum de diuinitate Dei Filij 5 intelligenda, nam diuinitati eius nihil accessit gloriae, nihil ea accepit augmenti, habuit enim gloriam et claritatem apud Patrem, antequam hic mundus fieret, Ioan. 17. Sed humanitas augmentum gloriae accepit. Ea enim euecta est per obedientiam, quam Patri praestitit, in summam sublimitatem. Sicut est ad Phil. 2: ‚Factus est obediens vsque ad mortem. Propter 10 quod et Deus exaltauit eum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.‘ Sic et Basilius Magnus lib. 4 contra Eunomium ait: ‚De humanitate haec intelligenda sunt, non de diuinitate.‘ Et Bernhardus Sermone 2 de ascensione Christi: ‚Christus‘ inquit ‚cum per naturam diuinitatis non haberet, quo cresceret vel ascenderet, quia 15 vltra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret, inuenit veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in aeternum. Propter quod Deus exaltauit il-[213:]lum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei.‘ Haec igitur persona, Iesus Christus, quae est Deus et homo, euecta est in summam sublimitatem et parem cum Deo Patre potentiam habet. Nec est diuel- 20 lenda persona, vt alteram naturarum omnipotentem, alteram vero nullius arbitris potentiae propterea quod vere humana sit. Nec sic credendo euacuantur caro et sanguis in Iesu Christi corpore, nec diffunditur et quantitate sua immensum redditur. Sed hoc corpus, quod sibi Dei Filius assumpsit quodque in qualemcumque excreuit magnitudinem, ostenditur maiestatem 25 habere alijs humanis corporibus, imo et ipsis angelis insolitam. ‚Nulli autem angelorum Deus dixit: sede ad dexteram meam‘, ad Heb. 1. Non confundimus naturas: manet enim sua cuique substantia et essentia. ‚Anathema in eum (vt patres in synodo Calcedonensi dixerunt), qui vel diuidit vel confundit.‘ Ergo postquam Iesus Christus coelum ascendit, et se 30 ad Patris sui dexteram collocauit.

I. Primo: ‚Omnia sibi subiecta habet‘, et omnia implet in omnibus, omniaque sibi resecta et praesentia habet, Ephes. 1 et 4.

II. Secundo: Dat dona hominibus. Quaenam dona? Dat Spiritum sanctum. Quid ab illo expectandum est? Primo, facit vt sint doctores, qui ecclesiam 35 doceant. Ephes. 4. Deinde, clarificat Christum, vt simul doctores et auditores in Christum credant. 2. Cor. 1: ‚Qui nos vobiscum confirmat in Christo, Deus est, qui et vnxit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.‘

[214:] III. Tertio: Interpellat pro nobis. Rom. 8, 1. Timo. 2, Ioann. 2. 40

III. Quarto: Defendit ecclesiam et conseruat verbum suum contra diabolum et tyrannos. Psal. 2 et 110. Actor. 9: ‚Quid me persequeris?‘ Haec Christus